

iv, cap. ix et alte infixum sibi vulnus mollioribus verbis linire contendit : cum enim Vasquez a circulo evitando non se expediat, unde omnino consequens est mentem ejus in hoc fuisse, quod illa habitudine rationis ad constituendum actum liberum, et actus liber ad producendum creaturam libere futuram, et fundandam talem habitudinem in eodem genere causæ se haberent : nam in diverso genere non est quod sibi a circulo timeret, cum non sit vitiosus circulus in diverso genere causæ, eo quod causæ ad invicem sunt causæ, et sub diversis formalitatibus potest aliquid esse prius et posterius, ut ex Aristotele et D. Thoma explicuimus in logica circa librum poster. q. xxv, tamen præfatus auctor sic ipsum explicat, quod creatura fundans illam denominationem seu relationem rationis non pertinet ad constituendum decretum, cujus tota ratio intrinseca et divina est intra Deum, sed pertinere ad decretum liberum tamquam terminum et objectum talis decreti, nec potest intelligi sine creatura ut objecto terminante extrinsece eam volitionem. Et sicut relatio non est sine suo termino, neque potentia sine objecto, et illo deficiente, deficit, ita volitio divina non est sine objecto volito. Et ita non est volitio libera in Deo per creaturam tamquam per rationem formalem, sed tamquam per terminum et objectum extrinsecum, sine quo nullo modo esset in Deo volitio formalis creaturæ.

XX. Vera doctrina, sed quæ ulcus expandit potius quam oppandit. Nonne conceptis verbis dicit Vasquez, fundamentum illius respectus sine quo essentia Dei non est volitio libera, esse ipsam creaturam libere futuram; sic supra ex ipso retulimus. Quomodo ergo non sarcitur hæc locutio, dicendo quod est ter-

minus, et requiritur ad volitionem ut terminus? Quodnam ergo est fundamentum illius? Estne ipsa creatura ejusdem relationis Dei ad se fundamentum et terminus? Non est talis relatio volitionis, sed identitatis, quia est ejusdem ad seipsum; idem enim est fundamentum et terminus. Videris ergo quam contrarie explicatur Vasquez ut cum ille dicat creaturam se habere ut fundamentum relationis ad liberam volitionem requisitæ, hic dicat se habere ut terminum, et sic requiri ad decretum liberum. Ad hæc nonne doctrina hujus auctoris fuit loquendo de possibilitate creaturarum quæ sunt terminus omnipotentiae, quod etiamsi tolleretur talis terminus, et creaturæ redderentur impossibiles, adhuc potentia Dei non deficeret, ideoque hac unica ratione fundatur in sententia Vasquez ne videantur creaturæ in Deo exui visionis divinæ essentia, ut præcedenti tomo, disp. xv et xviii late impugnauimus. Quomodo ergo nunc dicitur creaturam ita esse terminum, quod sine ipsa deficeret volitio libera? Si quidem non minus est absoluta et independens a creatura terminante volitio libera Dei, quam a possibili omnipotentia.

XXI. Colligamus ergo sic : Creaturæ, juxta Vasquez se habent ut fundamentum illius respectus, qui omnino requiritur ad hoc ut substantia divinæ volitionis libera dicatur : ergo est principium talis relationis, quia fundamentum ex parte principii se tenet non ex parte termini in relationibus; sed non se habent ut fundamentum creaturæ ut possibles, quia sic non magis fundant liberam volitionem quam nolitionem, ergo creaturæ ut futuræ, ergo ante futuritionem non fundatur ille respectus rationis : ergo futuritio creaturarum non causatur ab essentia divina habente illum res-

pectum rationis : ergo ab essentia nuda, et a volitione non libera, sed necessaria : ergo creaturæ sunt futuræ a Deo necessario et per volitionem necessariam. Quod cum concedi non possit contradictorium erit verum : ergo causantur in ratione futuri a volitione libera : ergo libera volitio causat libere fundamentum illius respectus, sine quo, et ante quem non est libera : ergo causat ut libera, et non libera, quod est prorsus admittere circulum vitiosum et contradictione plenum. Sed quid moramur? Ipse Vasquez in verbis supra relatis fatetur hunc circulum vix posse evitari, et non posse satisfacere hunc modum dicendi difficultati propositæ : ergo ex ipsa sua origine nata est sententia ex mente Vasquez falsitatis convicta, et insufficientiæ vicio laborans. Ipse ergo eam expungit, qui defendit.

XXII. Propter hoc sententiam Aureoli aliter temperavit p. Arrubal hic disp. iiv, c. iii, quem sequitur Torres opusculo de voluntate, disp. ii, dub. iv, Herice hic disp. xvi, c. x et alii, et dicunt ipsam indifferentiam liberæ volitionis, ut libera est, non attendi in ipso actu intrinseco volendi secundum se intrinsece : sic enim necessario est in Deo, nec per ordinem tantum ad effectus, vel ex habitudine orta et fundata in effectibus ad extra, sed per habitudinem ad ipsam causalitatem productivam effectum, ita quod ipsa productio et causalitas rei ad extra quæ de se est indifferens, et potens producere vel non producere, est id quo completur volitio divina in ratione liberi, et per eam determinatur voluntas ut dicatur velle hunc effectum potius quam nolle, quia producit hunc effectum potius quam non producit. Et sic evitat circulum illum Vasquez, non enim dicit, ideo Deum velle libere res futuras quia illæ futuræ sunt, et ideo esse futu-

ras, quia libere eas vult : sed ideo velle res futuras, quia vult illas producere : ideo autem producere quia vult volitione, et productione formaliter non causaliter determinante. Addit Herice (quod solum videtur verba addere) quod sicut voluntas nostra est indifferens ad velle et nolle indifferentia in actu primo, ita actus divinæ voluntatis, quæ est formaliter etiam nolitio, indifferens est non ad volendum, vel nolendum, sed ad producendum, vel non producendum : libertas enim non requirit essentialiter quod sit a voluntate ut amativa, sed ut indifferens, et sic si ipsa volitio est indifferens ad producere, libera est.

XXIII. Cæterum hæc explicatio eadem infelicitate laborat qua præcedens, quia ista productio, qua dicit constitui determinate actum liberum est executio divinæ voluntatis et providentiæ. Vel ergo sumitur pro executione, et productione passive sumpta, ut identificatur cum creatura extra Deum, et ut est aliquid temporale, scilicet ipsa creatio creaturæ, vel sumitur pro executione et productione activa, ut est aliquid increatum et æterna actualitas Dei. Si primum, est aliquid creatum utpote extra Deum, et idem est iudicium de illo atque de effectibus Dei, in quibus Vasquez dicebat fundari respectum rationis requisitum ad nolitionem liberam, ut liberam : quidquid enim extra Deum est, pro effectu et creatura reputari debet : nec potest aliquid creatum pertinere ad constitutionem liberi ut liberi Dei, nisi tamquam terminus et objectum ejus : nam formaliter dicere quod constituit liberum increatum, non nisi insanissime dicitur. Si dicatur secundum, eadem difficultas est, quomodo hoc increatum, quod est productio, sit liberum et indifferens erga objecta, cum in se sit entitatis necessariæ, et

quomodo hoc increatum quod est volitio, sit indifferens? Et sicut productio increata libera dicitur, cur velle increatum, indifferens non erit? Et instauratur ibi argumentum sæpe factum, quia id quod addit seu importat productio in quantum increata, est aliquid intrinsicum quod potest abesse a Deo, et libere illi inest, et sic reciditur in sententiam Cajetani quod aliquid intrinsicum Dei possit non esse in Deo: vel importat aliquid extrinsecum etiam ipsi productioni, et ipsi Deo, et sic est aliquid creatum et effectus productionis, et sic reciditur in sententiam Vasquez quod ex aliquo creato, seu ex effectu Dei sumitur ipsum fundamentum relationis rationis, sive quo divina volitio non est libera et determinata.

XXIV. Et præterea magnum inconueniens est, quod cum voluntati essentialiter et primordialiter competat jus libertatis, et ab ea habet executio ejus quod sit libera, quia videlicet dirigitur et derivatur a libera voluntate, dicatur modo quod voluntas in suo intrinseco velle non sit libera et productio ad extra, quæ est executio hujus voluntatis, præbeat illi indifferentiam, et libertatis rationem seu determinationem. Unde recurrit hic iterum vitiosus ille circulus quo rotatus est Vasquez, scilicet quod productio ad extra, cum sit executio voluntatis, ideo est libera, quia liberæ voluntatis executio est, et a libera voluntate descendit: nam si a necessaria volitione descenderet, non esset in manu ejus non exequi: necessario enim executio illa ex voluntate esset: ergo non posset a voluntate retineri, etsi libera non esset. Ideo ergo libera est, quia liberæ voluntatis, et non necessariæ executio est. Ex alia autem parte dicunt hi auctores, quod volitio illa ideo libera est, quia productio, seu executio est libera, et

ex ejus indifferentia completur: ergo non evitant circulum Vasquez. Ac denique sequitur Deum esse liberum, quia potest producere et non producere, non quia potest velle et non velle, quod totum Aureolus dicebat.

XXV. Denique, volitio et decretum divinum est causa et ratio productionis rerum ad extra, ita quod hæc causalis est vera: Quoniam voluit, fecit, sed non est causa faciendi volitio, ut necessaria aut indifferens ad agere et non agere: ergo ut determinata: ergo productio ipsa non determinat libere in ratione volendi, sed supponit liberam determinationem in esse volitivo. Major exprimitur a D. Thoma q. xxiii de verit. art. iv ad xv: « Voluntas ad volitum habet duplicem respectum: primum ad ipsum in quantum est volitum: secundum vero habet ad idem in quantum producendum in actu, et hic respectus præsupponit primum. » Et deinde negari hoc non potest salva Scriptura, ut cum dicitur Psalm. xvii: *Salvum me fecit quoniam voluit me.* Job: i: *Sicut: Domino placuit, ita factum est:* Jonæ i: *Tu Domine sicut voluisti, fecisti:* Psal. cxxxiii: *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit:* Judith ix: *Hoc factum est, quod ipse voluisti:* Actorum iv: *Convenerunt Herodes, et Pontius Pilatus facere, quæ manus tua, et consilium tuum decreverunt fieri.* Jam si vera est sententia horum auctorum, quod productio formaliter determinat velle divinum, ut sit libere volens, determinate potius quam nolens: ergo ideo libere vult, quia libere producit et facit, non e converso, quia vult facit, et sic erit sensus, salvum me fecit quia voluit, id est, salvum me fecit, quoniam me fecit; quid insulsius? Sicut Dominus fecit, ita factum est: *Tu Domine sicut fecisti, fecisti: Omnia quæcumque fecit,*

*Dominus fecit, etc.* Hoc autem est totam Scripturam vertere, et ad improprietates relegare, et non propriam volitionem Deo tribuere, sed metaphoricam, id est, productionem pro volitione. Minor vero est constans, quia volitio Dei ut necessaria vel indifferens non magis est causa producendi quam non producendi: ergo non est causa determinate faciendi magis quam non faciendi; et præsertim quia voluntas sub hac indifferentia non solum respicit volenda, sed etiam nolenda, non solum facienda, sed etiam non facienda, et sic omnia ad quæ se extendit volitio indifferens, sunt tam quæ facit quam quæ non facit, tam quæ vult quam quæ non vult: indifferentia enim omnia ista complectitur: ergo falsa esset illa locutio: *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit,* si ly voluit sumitur indifferenter, et non determinate pro velle, ut distinguitur a nolle. Patet consequentia, nam ly voluit indifferenter sumptum complectitur tam volenda quam nolenda: ergo sensus esset, omnia volita et nolita fecit. Quid absurdius? Cum nolente Deo nihil fiat. Et cum dicitur: *Hoc factum est quod ipse voluisti,* si ly voluisti sumatur indifferenter pro velle et nolle, est sensus: hoc factum est quod voluisti, vel noluisti. Quæ omnia absurdissima sunt. Si vero sumatur velle pro velle determinato, ut distinguitur, et hoc habet per ipsum facere seu producere, sensus erit: quæ voluit fecit, quæ fecit fecit. Si vero datur velle determinate ante producere, hoc est intentum.

## ARTICULUS IV.

*Mens D. Thomæ circa liberam volitionem Dei.*

I. Tantam variarum opinionum sentem, et excrescentes vepres mi-

rum quam paucis verbis præcederit S. Thomas. Versans enim hanc difficultatem cum in hac quæstione XIX, art. iii, tum in i contra gent. c. lxxxii, docet habitudinem ad volita creata non esse necessariam in Deo, et quod determinatur a se non aliunde, nec quasi in potentia existens ad aliquid, sed ex eo quod habet ex se necessitatem. Mirum dictum! Quod idem immutabile et necessarium in se existens fundet habitudinem contingentem ad aliud, quia ex se necessitatem habet. Si hoc evolvere possimus, totam difficultatem ex mente s. doctoris exhausturimus. Igitur in hac prima parti q. xix, art. iii ad v, sic D. Thomas dicit: « Ad quintum dicendum, quod causa quæ est ex se contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum. Sed voluntas divina, quæ ex se necessitatem habet determinat seipsam ad volitum ad quod habet habitudinem non necessariam. » In hoc ergo consistit totum hoc mysterium secundum D. Thomam, quod habitudo contingens seu non necessaria potest habere fundamentum necessarium et immutabile, nec indiget aliquo extrinseco dante indifferentiam, dummodo terminus ad quem est talis habitudo, sit contingens, et omnino subjectum illi necessario, sine dependentia aut indigentia istius ab illo. Hoc enim est proprium rei æternæ et immutabilis quod potest immutare alia, et in illis ponere contingentiam sine mutatione in se, quia est pure immutans, et nullo modo mutabile. Et ad hoc servit doctrina, quam ponit S. Thomas citato loco contra gentes, ubi solvens illam difficultatem quomodo voluntas divina se habeat ad utrumlibet, quod est habere contingentiam sine hoc quod sit in potentia ad utrumque, dicit: « Quod esse ad utrumlibet potest dupliciter conve-